

3780.
Petrus Wegelius,
Nuptiis
Johannis Laurentii & Magdalenae Jacobaeae,
Jacobi Fabricii & Agnetis Georgiae









NVPTIIS SECVNDIS

clariſſimi viri
doctrina & virtute præſtantis,
D. D. IOHANNIS LAVREN-
TII Ripenſis, Medici, Poetæ &
Canonici Ripenſis honoratiſſimi,
eiusq; SPONSAE,
virginis honeſtiſſimæ
MAGDALENAE IACOBAEAE,
reuerendi & clariſſimi viri, M. Iacobi
Matthiæ Velleij, paſtoris eccleſiæ Ca-
thedralis apud Ripenſes & Canonici
digniſſimi, filiæ:
quæ celebratæ ſunt
RIPIS
die XV. Octob.
Anno M D XIIIC.

Tum & NVPTIIS
Spectatæ virtutis & eruditionis viri,
M. IACOBI FABRICII,
Eccleſiaſtæ Tunderenſis,
eiusq; SPONSAE
virginis pudiciſſimæ
AGNETIS GEORGIAE,
Reuerendi viri, D. Georgij Petræi
Præpoſiti & Paſtoris Tunderenſis,
memoriæ felicis, filiæ,
eodem die celebratis
TVNDERAE,
HAEC VOTA PERSOLVIT
Petrus Hegelius
Lector Ripenſis.

SPONSUM QUAE FACIUNT BEATIOREM.

Felix cui obtigerit pia, casta, industria coniux:
Illa DEUM, illa Domum, curat & illa VIRUM.
Solius illa Dei est preciosum & amabile donum:
Talem annon toto pectore amare decet?

D. D.

IOHANNI LAVRENTIO, ET MAGDALENAE IACOBAEAE, COGNATAE SVAE.

Diuinum quiddam (vt reor inscrutabile) morbis
Dixit inesse ipsis maximus Hippocrates:
Diuinum quiddam sed & esse in amore fatendum est,
Quando etiam multis morbus & ipse amor est,
Qui genus inq; hominum grassans, genus inq; ferarum,
Terrisq; & mediis cuncta perurit aquis.
Sed ratio satis ampla subest, in amore iugali
Cur diuinæ aliquid remur inesse rei.
Hæcq; Deum potior sit causa timentibus, vt se
Et flammata sciant sistere corda DEO.
Quæ precibus Christo fusis, connubia fiunt,
Casta ligat parilis pectora quando fides:
Verè hæc, ne dubites, fato connubia fiunt,
Mutua diuino hic pectora ab igne calent.
Sunt quoq; & hæc magni mysteria parua caloris,
Quo λόγος humanum curat amatq; genus.
Illa etiam, licet obscura, est vitæ vmbra beatæ,
Quando erimus sponso sponsa beata DEO.
Ipse voluntates sexus inflectit, & omni
Ipse alios aliis pronubus arte ligat.
Ipse sui effingens teneros sub imagine vultus,
Donat honorato pignora amica toro.
Quàm bonus, Angelico infantes dum milite cingit?
Quàm blandus, pueros in sua regna vocans?
Quàm medicus, nostras sordes flammasq; pudendas
Concessi celans munere coniugii?
Quàm doctor, nos illecebris flagrisq; coercens
Multa Schola hac cogit discere, multa pati?

Quàm patiens, qui nos variè ſtultosq; malosq;
Suffert, nec noſtris fulminat in vitijs?
Quàm pater ἔυσοργος, *nos noſtraq; vt omnia curet?*
Quàm Deus, in media morte malisq; iuuans?
Diuinum ne igitur quiddam eſſe in amore fatendum eſt?
Siue bonum, ipſe adhibet: ſiue malum, ipſe inhibet.
Quando igitur vos corda Deo dextrasq; volente
Iungitis in ſanctæ fœdus amicitiæ,
Vobiſcum ſocijs animis votisq; precamur,
Ipſe ſuum clemens prouehat autor opus.
Coniugij velit ipſe tibi placidiq; pijq;
Fœcunda vt fiant iura ſecunda tui.
Hæc Collega tibi vicino vota repono,
Tu conſanguineæ vota referto meæ,
Dum paulum ad notos excurrere cogor amicos
Tunderam, fortè bos tres quatuorue dies.
Hæc vidua, & ſocrus, hoc [illegible] affinia vincla requirunt,
Filiaq; in mœſta ſola relicta domo.
Intereà dulci cum coniuge Sponſe valebis,
Cumq; tuo multum coniuge Sponſa vale.

P. H.

M. IACOBO FABRICIO
affini & compatri ſuo,
ET AGNETI GEORGIAE.

ARte vel igne faber, naturæ indagine magnes
Ferrum ipſum quò vult, hic trahit, ille polit.
Arte vel ipſe adamas, cuncta igne metalla domantur:
Vis ſecreta artem ſæpe tamen ſuperat.
Obfirmate animis, arteſq; amplexe beatas,
Linguisq; & ſtudijs dedite Sponſa ſacris.
Cernis vt vnus amor tibi te ferroq; fabroq;
Surripit? vt te nil ars, nihil arma iuuent?

Ferrum

Ferrum igitur magnes, Fabrum ipsum si trahit Agnes.
Mirum, sponte tua qui trahis & traheris?
Vis est ista quidem: sed & hanc diuinitus indit
Qui pax, & casto est fax in amore Deus.
Ille dabit vestro, vis & vitæ autor, amori,
Vis vt amorifica hæc sit quoq; prolifica.
Coniugium θεὸς ἁγνίζει, tibi is obtulit agnam hanc:
Vnde Agnetem ἁγνῶς tam trahis, vt traheris.

In Imaginem

CHRISTI SALVATORIS,
artificiosè auro fusam, & Sponsæ aliquando
à Sponso missam.

QVàm suaue, & diù quàm maiestate verendum
Hæc cilia, hæc spirant lumina, labra, genæ?
Talis erat, talis vel creditur illa fuisse,
Quam gesßit nostra in carne, figura, Deus.
Blanda, seuera simul facies: augusta, modesta:
Celsa, humilis: tristis, læta: grauis, facilis.
Quàm benè conspirant in vultu hominisq; Deiq;
Maiestas & amor, numen & obsequium?
Quid si ipsum coràm licuisset cernere? & istis
Basia amabilibus figere sancta genis?
Nec mirum, tales si tali in corpore dotes
Ille sua sibi qui est arte creator, habet.
Hoc mirum, quod in omne omnes mirabimur æuum,
Quodq; & naturæ machina tota stupet:
Æternum, immensum, rerumq; hominumq; parentem,
Dignatum in nostra carne habitare Deum:
Et, semel humanæ quam massæ assumserit arrham,
Quòd λόγος hanc nunquam deposuisse velit.
Mirum etiam Cœlum cui sedes, terra scabellum,
Spirituum incinctus qui meliore choro est:

Quòd velit ipse homines, quamuis noxamq́ lutumq́
Asserere, & propria in carne quòd inserere:
Nosq́ sibi impactos vilißima germina viti,
Sponte rigare ex se, sponte animare DEO.
Quin hominum insinuans cerebro se & cordibus; vltrò
Gestit adesse suis, gestat & ipse suos.
Cui, socia in massa cùm habitacula deligit hospes.
Pro templo cerebrum est, pectora pro thalamo.
Deliciasq́ suas homines, suæ imaginis vmbram,
Idem qui fecit, fert, facit & reficit.
Et quasi colludens, verbis vultuq́ benigno
Dat se, nosq́ suo collocat in gremio.
Dum se dat, sua dat merita omnia: nos quoq́ cœlo
(Terra parum est) reges destinat & dominos.
Sic caro nanq́ suam nunquam contemnere carnem
Nostra potest (nostra est ipse caro, ipse caput)
Quin trahat ad se omnes, suaq́ ad se membra receptet:
Quicquid in hoc erimus, membra beata erimus.
Huncne igitur votis, totaq́ requirere mente,
In corde, inq́ oculis hunccine ferre decet?
Huius vt effigies de puro fusa metallo,
Fulgida quam circùm margine gemma nitet.
Gestari interius tibi casto è pectore possit,
Mittitur in strenæ, Sponsa pudica, loco,
Et votiua simul sit vt hæc suspensa tabella,
Tam mihi, pro sponsæ sæpe salute reo:
Quàm tibi pallidulæ, post sæui tædia morbi,
Cui prope defunctæ contulit vnus opem.
SERVATOR tulit vnus opem, vitæ autor & auctor:
Reddita es, ab votis bis rediuiua meis.
Pectore non tantùm hunc, sed in ipso pectore gestes:
Et micet hæc collo formula, corde fides.
Fusilis hic typus est: in nostri ita fudit amorem
Se totum, & Christo cor prope collicuit.

Sic quia cor nobis vnum est commune duobus
(Cor mea vita tuum est, cor tua vita meum est)
Mutua & hunc inter premimus dum corda: vicißim
Sit nostri hic cordis cor, sit amoris amor.
Inclususq; fibris totis imisq; medullis,
Amborum ipse vno corda calore beet.
Vita est cordis, amor: vita est ergo optima, cùm vult
Qui vita atq; amor est, corda habitare, Deus.

P. H.

SPONSVS ALIQVANDO SPONSAE.
PETRVS MARGARITAE
Georgiæ suæ:

SVM tuus, es mea tu: tibi petra ego, tu mihi gemma es,
Candidula ò cordis margaris vna mei.
Vnus ego vt placeo, sic vnio sola placebis.
Vnio mi ex corde, haud pendulus aure, meo.
Quanto etenim melior gemma est, quàm petra: ego tanto
Mi videor te, quàm tu me, adamare magis.
Quanto etiam maior petra est quàm gemma: videris
Ipsa tibi me, quàm fors te ego, amare magis.
Atqui ita amore meos superas mea gemmula amores:
Vincere si sic vis, vinci ego me patior.
Es mea, sum tuus: & casto Deus æquus amori,
Ipse mihi robur det, tibi vim precij.
Quiq; petram & gemmam coalescere fecit in vnum,
Petra erit & cordis gemma mei atq; tui.
Omnia amicorum bona sunt communia, amicis
Commune ipse suis vult Deus esse bonum.

Die XXVI. Iunij
in nuptijs nostris
Anno 1580.

COR

COR HOMINIS IN REBVS ADVERSIS timidum, in secundis tumidum.

AVt salit, aut trepido micat, heu male pensile, motu,
Cor lætis tumidum, corq; malis timidum.
Nam tacito, elatum rebus fidensq; secundis
Numinis irridet nomen inane sinu:
Vel fractum aduersis furit, indignoq; fatigat
Terrasq; infernumq; & superos fremitu.
Ergo mei cordis qui plasma intelligis. æqua
Misce læticiam temperie lacrymis.
Lance pari moderans vitiosæ pondera massæ,
Erige ne timeat, corrige ne tumeat.
Gaudia & ærumnas fac vt inuariabilis inter
Nec fidam nimium, nec trepidem nimium.
Spiritus aura tui sit nostro arteria cordi:
Quò tibi ego spirem, spira age Christe mihi.
Vt micet, vt saliat momento æquabili, idipsum
Crux tua Christe premat, vox tua Christe leuet.

RVRSVS SPONSO VTRIQVE, χαίρειν.

QVin medica ò medici tractate, fabrilia fabri,
Pro se quisq;, isto liberi amore, viri.
Pharmaca nil prosunt, Vulcania an arma labascunt?
Pro se quisq; suo captus amore gemit.
Fomentum sibi conueniens dum quærit vterq;,
Huic Agnes, illi Magdalis vna placet.
Iam medico medicina data est, fabro arma supersunt:
Pro se quisq; suo lætus amore, vir est.

SLESVICI.